



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

LIV. Die von Eilsleben überlassen dem Kloster Hillersleben das Patronat
über ihre Kirche, am 11. November 1331.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

uero, concensum prefati famuli precibus adhibentes, omne ius proprietatis, quod in prescriptis bonis habuimus, nos et fratres nostri et sorores, qui perfecte etatis non sunt, et sigillo carent, prememorato monasterio hildesleue contulimus in perpetuum possidendum. Vt igitur hec empicio et nostra donacio firma permaneant, presens scriptum sigillorum nostrorum munimine iussimus roborari. Testes huius empicionis sunt hinricus de doce, nicolaus et ludolfus fratres, dicti de drakenfede, tidericus de doce et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec anno domini M^o. CCC^o. XXVI^o.

Cop. I, app. fol. 23.

LIV. Die von Gilsleben überlassen dem Kloster Hilsersleben das Patronat über ihre Kirche, am 11. November 1331.

Omnium habere memoriam diuinitatis potius quam humanitatis esse comprobatur. Ne igitur ea, que perpetuis duratura sunt temporibus, a labili hominum memoria propter temporum successione facilliter euanescent, necesse est et valde, ut literarum testimoniis perhennentur. Nesciant proinde tam presentes, quam futuri, quod nos bruno, iohannes, Gheuehardus, fratres, ac iohannes, nofter patruus, famuli dicti de eylsleue, cum vnanimi consensu et voluntate omnium nostrorum nostrumque heredum, videlicet Brunonis, ludolfi, iohannis filiorum, luckardis, Elizabet et Ghertrudis, filiarum Brunonis de eylsleue pretacti, pure et simpliciter propter deum et remedium animarum nostrarum nostrorumque parentum, parrochiam nostram in villa eylsleue sitam, cuius proprietatis ius et patronatus ac collacio ad nos iure hereditario pertinet, deo omnipotenti, beato laurencio martiri inclito, nec non honorabili viro domino Abbati et capitulo in hildesleue cum omnibus redditibus ad ipsam spectantibus et omni iure proprietatis, quo nostri progenitores et nos eandem parrochiam pacifice et quiete hucusque possedimus, offerimus et contulimus perpetuis temporibus possidendam, Cupientes liquidem locum et congregacionem religiosorum in hildesleue, quam quadam speciali prerogatiua dilectionis preextollimus, huic dono gratuito insignire. Confidimus enim sperantes per sanctorum patrocinia et religiosorum precamina, pro nobis deo fasa, mederi nostrarum languoribus animarum. Quoniam ergo ea, que cum deliberacione facta sunt, non debent facilliter immutari, Et ut hec nostra donacio immutabilis perseueret, firma et stabilis, presentem paginam seu litteram domino abbati et capitulo in hildesleue in signum firmitatis et robur certitudinis cum nostrorum appensione sigillorum dedimus communitam. Actum kaleuorden et data anno Domini M^o. CCC^o. XXXI^o., in die beati martini confessoris cristi.

Cop. II, fol. 20.